



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

tidem secundum cuiusque actionis natu-  
 ram, sigillatim proferendæ sunt sententiæ:  
 in eodem iudicio: quia tot sunt libelli,  
 quot actiones & facta, & ideò cum separa-  
 torum separata sit ratio, totidem senten-  
 tiæ requiruntur: potestq; Judex partim  
 definitivè, partim interlocutoriè pronun-  
 tiare: ut v. g. si post conclusionem in cau-  
 sa, quoad aliquod factum in actis allega-  
 tum, desideret adhuc aliquam probatio-  
 nem: potest rescissâ ex officio conclusio-  
 ne, ulteriorem probationem injungere,  
 & nihilominus quoad reliquas actiones  
 in quibus nihil desiderat definitivè pro-  
 nuntiare: non obstante quod sententia  
 individua sit. *L. in hoc iudicio ff. fam: ercis.*  
 quia id verum est, quando libellus unum  
 factum continet: fecus quando plura, &  
 separabilia facta. *Gail: cit. obs. 63.*

5. Conclusioni clausulam aliqui subji-  
 ciunt, *cum expensis*: quam adeo utilem esse  
 aiunt: ut Judex eâ non omisâ non sit ob-  
 noxius eo nomine actori. *Barth: in L. 4. §.*  
*hoc autem iudicium. ff. de damno inf:* Verùm  
 id falsum esse colligitur ex *L. properandum.*  
*§. sin autem alterutra C. de jud.* Subjiciunt &  
 hanc:

hanc:

hanc. *Salvo jure addendi, detrahendi &c.* cui  
 vi existimant libellum, ante litem conte-  
 statam mutari posse. *Gl. in cap. inter dilectos.*  
*de fide Instr.* S E D reverà hæc clausula nihil  
 operatur, quia ipso jure libellum mutare  
 licet, tam in civilibus, quàm in criminali-  
 bus usque ad litem contestatam, quia ea  
 non contestata non dùm est iudicium cap-  
 tum propriè, at verò eâ contestatâ actor  
 eum mutare non potest (nisi velit uti no-  
 vo libello, & nova instantia, recedendo à  
 priori cum refusione expensarum, juxta  
*caput examinata de jud.*) etiam de consen-  
 su partium: quia per litem contestationem  
 obligatur quis instantiæ, ut ab ea recede-  
 re, & amplius pœnitere non valeat. *L. 15.*  
*qui se obtulit.* & *Gl. ibid. in ver. qui discessit.*  
*ff. de rei vend.* tum quia sic celebratur qui-  
 dam quasi contractus, quo obligatur quis  
 ad id, quod in iudicio petatum est, si per-  
 sententiam (quâ contractus iste quasi  
 consummatur) succumbat: tum, quia li-  
 tis contestatio, & alii actus substantiales  
 iudicii partium consensu tolli nequeunt.  
*Gl. in cap. de causis. de offic. deleg. ver. consen-*  
*sus.* D I X I mutare, quia emanare licet li-  
 bel-

bellum, usq; ad sententiam. *L. si quis intentione. de jud. & DD.* comuniter ad *L. edita 3. C. de edendo.* ut proinde si actor de summa petita aliquid diminuere velit, usque ad sententiam audiendus est. *arg. L. quidam ff. s. certum petatur.* sicut & si errore ductus ab initio minus, quam sibi debebatur petierit: potest in eodem iudicio, eademque instantia, errorem suum corrigere. *§. si minus. Inst. de act.* SED & oblatio libelli remitti potest: *intellige* de partium litigantium conventionem, si enim ipsa vocatio, tametsi primum sit suo modo, actionem instituendarum principium, expressam aut tacitam conventionem remitti potest, quanto magis oblatio libelli? v. g. Adversarium in iudicio inventum apud eum, qui tribunali praest convenisti: conventus ultro respondit, litemque contestatus est, non est dubitandum valere iudicium: ex quo fundamento & illud defenditur, si vocatio parum legitime facta sit, non vitari iudicium si vocatus ultro compareat. *arg. L. 1. §. 2. ff. de fer. Rebuff. tract. de contum. art. 2. n. 4.*  
 6. Plerumque autem viso actoris libello, reus vicissim ab actore aliquid petit, eumque

que